PRAEFATIO AUTORIS.

LITHOLOGIA mihi cristas non eriget, Lapides enim, quos quondam in deliciis habui, tradita demum aliis disciplina, seposui, neque nunc, nisi lacessitus, recepissem.

PRIMUS anno 1736 Lapides in *Methodum Systematicam* disposui, constituendo *Genera* fixa *Characteribus* definita, quae omnia non omnibus invisa fuisse, ex scriptis successorum intellexi, quamvis nonnulli meis humeris insistentes, circumspexere altius, quaedam mutando addendoque non sine supercilio.

DEIN surrexere varii Lithologi et Mineralogi consummati: WOLTERSDORF, WALLERIUS, JUSTI, SWAB, CRONSTEDT, VOGEL, qui divino afflatu inspirati sua observata cum erudito orbe communicarunt, quibus, quod infinito labore et sudore montium et Naturae abyssum penetrarunt, sempiterna ab omnibus aequis censoribus debetur gloria; sapientes enim eruditos maligno dente se invicem rodere, non equidem invideo, sed miror magis; at homo natura malus morum cultura et nobiliore educatione emendandus: de ferro est ultima aetas.

MINERALOGI viam Chemicam incedere coacti sunt pro scopo Metallurgo obtinendo, a qua in viam Physicam adscendere allaborarunt; hi lithologiam sibi vindicarunt tanquam propriam, quemadmodum Medici olim Botanicen. In his primas tenet incertus (*Anonymus in Mineralogia Holm.* 1756. *oct.*) de cujus autore utar verbis Isaci mutatis: vox Swabii, manus Cronstedti; illius *) enim dogmata dudum in familiari colloquio audivi, antequam hic adoleverat.

*) *Summus Mineralogus* Ant. Swab *obiit d.* 28. *Jan.* 1768. *aet.* 64.

Ipse Lapides non ſcopo Metallurgico, ſed ut Naturae Conſultus omnibus gentibus utiles conſideravi, Viam Mediam incedere coactus, nec auſus ubique aſſociare germanos fratres (Cretam et Silices;) nec proſcribere Genera, quae Natura civitate donavit (Humum, Cotem, Nitrum;) nec ſeparare, quae haec foederato connubio conjunxit (Spati ſ. Schiſti ſpecies).

Lithogenesiam ſtudioſe in itineribus quaeſivi, didicique eam abſolvi Praecipitatione et Cryſtalliſatione, atque Terras proſterni, ſed Quartzum, Spatum, Micamque exſurgere. Terras femineas dein impraegnari a Salibus maſculis, indeque prognaſci Nobiliores; horum vero plurimos a Marte, proteo magis mutabili, pro indole cujuscunque conjugis.

Salium metamorphoſin etiamnum occluſam Lithologis ſerio commendo, quae ſi aeque aperta fuerit ac hodie Terrarum janua, nova lux affulgebit Lapidum geneſi. Cryſtallos lapidoſas, quod Salibus dudum ſubjeci (ob rationes alibi *) datas, et pluribus dein confirmatas, adeoque non mutandas) a variis reprehenſus fui, ſed vix ab aliis, quam qui ignorant, quid diſtent Silices a Calce.

Petrarum ordines nomine, non vero omine, mutavi, uti dudum Mammalia, ne hallucinarentur frivoli.

Terras Primitivas lubenter Petris praemiſiſſem, ſi leges Artis et Naturae admiſiſſent, ſed praevidens me incidentem in Scyllam cupientem vitare Charybdin, obſervavi Naturae ſimplex veri ſigillum per circulum incipere, ubi deſinit. **)

Upſaliae 1768.

PRAE-

*) *Amoen. acad.* I. *p.* 454.

**) *Salom. Concion.* III. 10.